

velle ejus celebrationem impedire, nisi in suis decretis de hoc faciat expressam mentionem: unde existimandum non est, quod per solum generale interdictum velit Pontifex matrimonium quoad substantiam prohibere, sed dumtaxat quoad sollemne benedictionem Sacerdotis. Idque confirmat ex c. Capellan. de feriis, ubi Clemens III. ait matrimonium quocumque tempore contrahi posse: quod Glossa explicat de contractione matrimonii sine sollempnitate. Nec obstat, quod tempore interdicti prohiberentur omnia sacramenta, præter Baptismum, Confirmationem, & Pœnitentiam, ac Eucharistiam per modum viatici, ut constat ex c. Alpha mater de sent. & excommunic. in 6. cum enim ex aliis juribus, præsertim ex verbis Clementis III. jam relatis, constat, Matrimonium non comprehendi sub generali prohibitione sacramentorum, non fuit necessaria specialis exceptio illius, ut non intelligeretur cum reliquis sacramentis prohibendum.

5 Tertium impedimentum prohibens est Catechismus, id est cognatio spiritalis nata ex catechizatione seu instructione in fide, quæ fit ante quam Ecclesie super baptizandum. Verum licet jure antiquo contraheretur ejusmodi cognatio, ut habetur expresse cap. 2. de cognatione spirituali in 6. idque ex eo quod Catechismus sit quædam futuri baptismi professio, ejusque initium; vel etiam quædam regeneratio imperfecta per fidem, quam protelatur patris pro parvulo; sicut sponsalia sunt quoddam matrimonii initium; & consequenter, sicut in iis contrahitur quidam gradus propinquitatis, ita & in illo contraheretur quædam cognatio spiritalis imperfecta: videtur tamen sublatum tale impedimentum per Concilium Tridentinum sess. 24. de Matrimon. cap. 2. ubi expresse statuitur, cognationem spirituales non contrahi in baptizante, nisi inter susceptores & baptizatum ipsam, illi que patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizateque patrem & matrem; nullamque profus mentionem facit Catechismi, aut tenentis in Catechismo. Quod si non solum per Baptismum, sed etiam per Catechismum cognatio spiritalis contrahatur, hocque impedimentum non fit per Tridentinum sublatum, ut Navarrus, Valentia, Rebellus, & alii existimant de illo ut de baptismo sentiendum est, quoad mensuram graduum, quia perfecta cognatio spiritalis debet esse regala seu mensura imperfecta; & ut recte ait Navarrus in Manuali cap. 22. quoties duo sic se habent, ut unus sit mensus, & alterius mensum, lex que corrigat & limitat mensens, censetur consequenter corrigere vel limitare mensum, si eadem ratio in utroque militet.

6 Quartum impedimentum est sponsalia, seu promissio futurarum nuptiarum alicui facta; qui enim cum aliqua sponsalia contraxit, non potest sine peccato mortali cum alia matrimonium inire, nisi ex justa causa promissionem alteri factam dissolvat, ut constat ex dictis disp. 3. Nihilominus si matrimonium cum posteriori contrahat, sponsalia legitime non solvitur, illud validum erit; quia hoc impedimentum non dirimit contractum, sed tantum contrahendum impedit, sicut & alia de quibus nunc agimus.

7 Quintum est votum simplex Religionis, aut castitatis, aut suscipiendi Ordinem sacrum, aut non in eadem matrimonium: hoc enim jure naturali, & ex natura ipsius voti, propter fidem Deo datam, & promissionem illi factam, obligat ad non contrahendum matrimonium, subindeque reddit illud illicitum, non tamen invalidum. Nam, ut ait S. Thomas hic quæst. 53. art. 1. Votum simplex est tantum promissio. Res autem alicui promissa tantum, manet adhuc in dominio promittentis, potestque valide, quamvis illicitè, ab eo donari alteri. Quare votum simplex castitatis, id est promissio Deo facta proprii corporis, ad continentiam servandam, non impedit quin votens possit valide, sed non licite, illud tradere uxori per matrimonium.

Si quis autem voto castitatis vel Religionis adstrictus, spe & pacto futuri conjugii, virginem desoravit, aut honestam aliquam viduam carnaliter cognovit, voto non obstante, tenetur matrimonium cum ea contrahere, postea saltem quod damnum fame inde emergens non possit alteri reparare: quia necessitas reparandi hoc damnum, prævalet voto ipsi contrario: sicut in casu quo quis vovisset dare ceptum aureos pauperibus, posteaque debuit justitiam contraheret totidem reddendi, ratione mutui, vel injuste acceptationis, neque posset utrique obligationi satisficere; hæc posterior obligatio prævaleret.

Quæres, an qui votum castitatis emittit, possit inire matrimonium, animo non consummandi, sed ingrediendi Religionem?

Respondere negative, tum quia decipit sponsam, eique gravem irrogat injuriam, quippe quæ & difficilior alteri nuberet, utpote suspecta de carnali copula cum priori conjugio, & cum molestia expectare debet usque ad sollemnem conjugis in Religione professionem, ante quam matrimonium ratum non dissolvitur: tum etiam quia si ille ad Religionem non admittitur, tenebitur redire ad conjugem, cum periculo frangendi votum castitatis.

Ex dictis sequitur primo, cum qui post votum simplex castitatis duxit uxorem, nunquam posse ab ea petere debitum matrimonii: quia semper votum obligat, quatenus potest, & semper si qui fecit, illud debet servare, quatenus potest. Hoc definitum est c. quidem, & c. placet de convers. conjugatorum.

Sequitur secundo, eum, qui post votum simplex castitatis duxit uxorem, ea mortua, non posse secundas nuptias inire, quia quamvis semel violaverit castitatem per matrimonium, debet semper servare quantum potest, & post mortem uxoris, aliam non ducere. Ita definitur capitibus citatis de convers. conjugat.

ARTICULUS II.

Alia septem impedimenta ex crimine provenientia explicantur.

Explicatis impedimentis prohibentibus, a crimine independentibus, exponenda sunt quæ a crimine ortum ducunt, quorum primum est incestus; nam licet incestus matrimonium irritet inter eos inter quos committitur, & inter eorum consanguineos, saltem usque ad secundum gradum, cum quibus per incestuosam culpam affinitas contrahitur; non tamen dirimit, sed solum impedit cum ceteris contrahendum, ut habetur c. Si quis sponsam 27. q. 2. & Quædam cum fratre viri, c. Si quis viduam, & Concubisti, c. Qui dormierit. Nihil autem refert, quod incestuosus nondum sit conjugatus; nam quod etiam ante conjugium contrahatur hoc impedimentum, quod quædam incestum, in penam hujus criminis, licentia ullam contrahendi unquam matrimonium prævertit, liquet ex c. Si quis cum adultero, & c. Si quis cum matre & filia, & c. Quædam fornicatus est, 34. q. 1. ubi privatur spe conjugii, qui incestum commiserunt nullo existente matrimonio.

Secundum impedimentum a crimine ortum ducens, est raptus sponsæ alienæ; nam istud etiam crimen est unum ex illis propter quæ jure antiquo interdictum fuit matrimonium, ut constat ex t. Statutum 27. q. 2. ubi sic dicitur: Statutum est a sacro conventu (Concilio Toletano), vel potius Rhebenis, ex quo caput illud delinquentem) ut si quis sponsam alterius raperit, publica poenitentia muldetur, & sine spe conjugii remaneat. Notandum vero, non solum raptorem, sed etiam raptam, si rapti consentium præbuerit, incurere hoc impedimentum, ut colligitur ex verbis istis, quæ ibidem subduntur: Et si reipsa rapta eadem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi illi non negatur. Hæc enim conditio frustra apponeretur, nisi neganda illi esset nubendi licentia, postea quod consentiret. Multi vero improbabili existimant, hæc poena non ligari feminas virorum raptrices, quia jura tantum loquuntur de raptu sponsæ alienæ, neque considerant extraordinarios casus, qualis est quod femina virum rapiat. Non placet tamen quod alii asserunt, hoc impedimentum non incurri per raptum simplicem, nisi accedat copula raptoris cum rapta. Nam in citato canonis statuto, nulla fit mentio de copula, sed de raptu duntaxat, ad quem, & ad hanc poenam canonicam incurrendam, quatuor præcipue conditiones requiruntur. Primo, ut adit violentia, quæ vel puella rapta, vel ejus parentibus aut tutoribus inferatur. Secundo, ut raptus fiat causa libidinis, sive copula sequatur, sive non; quia ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 7. raptus proprie est species luxurie. Tertio, ut rapta abducat de loco in locum, & ipsius vel parentum potestati extrahatur; per hoc enim dicitur raptus a stupro, quo puella extorquetur copula per vim in eodem loco. Quarto, debet esse raptus honeste mulieris, ut prædictæ poenæ raptor subiiciatur. Unde hanc poenam non incurrit, qui meretricem, vel quancumque aliam projecti nominis feminam tradidit. Quod tamen aliqui limitant, nisi meretrix sit conjugata, ejusque vir leno non sit; vel illa per aliquod tempus honestam vitam ducere inceperit. Hoc impedimentum, post Tridentinum, non solum prohibet matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit contractum, seu reddit illud invalidum, ut constat ex dictis disputatione sequenti.

Tertium impedimentum ex crimine proveniens, est mors mulieris, id est uxoricidium, quod si committatur animo ad alias nuptias transeundum, est impedimentum dirimens, ut dicimus disp. sequenti, si vero ex ira, odio, aut vindicta, est tantum impediens; qui enim uxorem interfecit, privatur spe conjugii c. Interfectores, c. Quisquamque & c. Admonere, 33. quæst. 2. quamvis occidat deprehensam in adulterio; licet enim juxta leges civiles, qui uxorem in adulterio deprehensam, propria auctoritate interfecit, nulla poena placatur; quia tamen peccat mortaliter, a jure canonico imponitur illi poena, ut ad alias nuptias transire non possit, ut constat ex citato c. Quisquamque, ubi sic dicitur: Quicumque propriam uxorem, absque lege, & sine causa, & certa probatione interfecerit, &c. Eandemque poenam extendi ad uxorem, quæ maritum occidit, constat ex cap. 1. de divortio, ubi sic habetur:

Si quis

DISPUTATIO IX.

De impedimentis dirimentibus.

Ad questionem 51. supplementi, & alias sequentes.

Impedimenta Matrimonium dirimentia, attento jure antiquo, sunt tantum duodecim; quia tamen alia duo, jure novo Tridentini statuta, fuerunt addita, sunt omnia quatuordecim, his verbis comprehensa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas, Si sit affinis, si forte coire nequibus, Si parochi & duplice desit presentia testis, Raptae sit mulier, nec parci reddita ruit, Hæc scilicet vetantur conjugia, facta retrahantur.

Congruentiam autem numeri horum impedimentorum colligi potest ex sequenti discursu, desumpto ex D. Thoma hic quæst. 50. art. unico. Impedimenta Matrimonii sumi possunt vel ex parte contractus, vel ex parte contrahentium: si ex parte contractus, cum liberam requirant consentiam, libertati autem contrarietur error, & violentia, ex hoc capite duplex impedimentum dirimens Matrimonium provenit, scilicet erroris, & violentiæ, & ad impedimentum violentiæ reducitur impedimentum raptus. Si ex parte contrahentium, aut simpliciter, aut respectu certe personæ duntaxat, potest Matrimonium impediri. Simpliciter, quando id provenit ratione impotentie, quæ contingere potest tripliciter. Primo ita quod nullo modo contrahens Matrimonium, possit actus conjugales exercere, & sic statuitur impedimentum impotentia. Secundo, ita quod id possit quidem physice, sed non moraliter, sive libere, & est impedimentum conditionis servilis. Tertio, ita quod id possit physice, & moraliter, sive libere, sed non licite; nimirum, vel propter obligationem ministerii suscepti, & est impedimentum Ordinis; vel ex obligatione voti sollempnis emissi, & sic est impedimentum voti. Si vero impediatur Matrimonium non absolute, sed tantum respectu alicujus personæ, vel hoc ideo est, quia Matrimonium contrahens cum una, jam contraxit cum alia, & sic statuitur impedimentum ligaminis: vel quia deficit proportio debita personæ ad personam, idque tripliciter. Primo, ob personarum distantiam, & tunc est impedimentum disparitatis cultus. Secundo, ob nimiam conjunctionem, & ita consurgunt tria impedimenta, nimirum cognationis, affinitatis, & publicæ honestatis. Tertio, ob indebitam conjunctionem præcedentem Matrimonium, & habitam inter ipsos contrahentes, & sic est impedimentum criminis. Hoc præmissis, singula impedimenta in particulari explicanda sunt, & difficultates, quæ circa illa versantur, breviter resolvende. Unde fit

ARTICULUS I.

De impedimento erroris & conditionis.

Græca impedimentum erroris duplex est difficultas breviter hic resolvenda. Prima est, qualis error Matrimonium dirimat? Secunda, quo jure illud dissolvat? Pro resolutione

Notandum primo, quadruplicem in contractu Matrimonii contingere posse errorem, videlicet circa personam, ut cum Jacob existimans se ducere in Matrimonium Rachel, accepit Liam. Circa conditionem, ut cum quis exillimat se contrahere cum libera, & contrahit cum ancilla. Circa qualitatem personæ, ut si putat esse pulchram, & nobilem, quæ reipsa est deformis & ignobilis. Vel denum circa bona fortunæ, putans esse divitem, quæ pauper est.

Notandum secundo, errorem duplicem esse, unum antecedentem, id est qui dat causam contractui, ita ut sine illo non fieret, ut cum qui errans circa personam, vel qualitatem ejus, sic est affectus, ut nullo modo contraheret cum illa, si veritas ei perpeffa esset. Alterum concomitantem, quando nimirum ille qui errat circa personam, vel qualitatem ejus, sic est affectus, ut nihilominus contraheret, tamen non erraret, ut si contrahens cum Martha, putat esse Mariam, sed nihilominus æque libenter, aut etiam libentius cum Martha contraheret. His præmissis

Dico primo; errorem antecedentem circa substantiam personæ, facere Matrimonium irritum, non solum jure humano, sed etiam naturali. Ita D. Thom. hic quæst. 51. artic. 1. & 2. Ratio utriusque partis manifesta est, error enim antecedens circa personam, tollit consentium in essentialia Matrimonii, nimirum circa personam individuum, cum tamen ad Matrimonium jure naturæ requiratur consentus in ea quæ sunt ipsi essentialia.

Confir-

Conferatur; nam etiam in aliis contractibus error circa substantiam contractus, reddit illum irritum jure natura, ut si quis pro tritico vendat hordeum, pro auro aurichalcum, pro gemma lapidem aut vitrum: Ergo a fortiori in Matrimonio error antecedens circa substantiam personae facit Matrimonium irritum jure natura; cum enim Matrimonium sit conjunctio maris & feminae, individuum vitae conjugii retinens, consensum postulat in determinatam personam, cum qua perpetua vita agenda est.

4 Dices primo, Validum fuit conjugium Jacob cum Lia, Rachelis loco substituta: Ergo error antecedens circa substantiam personae, non facit Matrimonium irritum.

Respondet D. Thomas loco citato in resp. ad 4. ex Magistro sententiarum, quod Matrimonium quod fuit inter Liam & Jacob, non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex errore contigit, sed ex consensu qui postmodum accessit; tamen utique a peccato excusatur; quia nimirum Jacob maritali affectu accessit ad Liam, putans esse Rachelam; & Lia nixorio affectu dehitum solvit, existimans, juxta patrie consuetudinem, lege primogenitarum, jure se illi a parente fuisse copulatam.

Dices secundo; Reliqua sacramenta ut valida sint, non requirunt ministrum consensum in certam & determinatam personam cui conferenda sunt, sed fufficit consensus in personam presentem, etiam si ex errore putetur alia: si quis enim putans se baptizare vel absolvere Petram, baptizat, vel absolvit Joannem, valide illum baptizat, vel absolvit. Item in contractu venditionis error circa personam, illum non vitiat; ut si Petrus vendat, putans esse Paulum: Ergo similiter error antecedens circa personam, non irritat contractum Matrimonium.

5 Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritate. Ratio differuntis est; quia in reliquis sacramentis, persona quae illa recipit, se habet dumtaxat per modum subiecti cui illa applicantur; in Matrimonio autem contrahentes, eorumque corpora, sunt materia ex qua ipsum Sacramentum constat. Similiter in contractu Matrimonii, persona ipsa est id quod traditur per contractum, sicut in venditione mercium, aut praediorum, vel similibus rerum; in venditione vero servi, quia persona cadit in materia contractus, error circa personam, contractum vitiat: unde id quod est accidentale respectu unius contractus, potest esse substantiale respectu alterius.

6 Dico secundo, errorem concomitantem circa personam, irritare etiam jure natura seu ex natura rei Matrimonium.

Probat, quia tamen talis error non facit involuntarium contrarium, seu positive, facit tamen involuntarium negative, id est non voluntarium, ut in Tract. de actibus humanis, disput. 1. art. 7. concl. 3. ostensum est: Sed de ratione & essentia contractus Matrimonii est, ut sit positive voluntarius, id est ut actus & res ipsa consentiat contrahens in personam quae traditur: Ergo ex natura rei talis error irritum reddit Matrimonium contractum.

Confirmatur: Matrimonium non fit sine consensu actu existente, & posito in rerum natura, cum consensus sit causa efficiens illius, ut ait Florentinum in decreto Eugenii: At ille qui contrahit cum errore concomitante circa personam, nullum de presenti consensum praebet circa talem personam, sed solum praebet, si sciret esse talem: Ergo invalide contrahit.

7 Dico tertio: Error circa qualitatem, quamvis sit antecedens, si non redundet in errorem personae, Matrimonium non irritat; bene tamen si in errorem personae redundet. Ratio est, quia quando error circa qualitatem, non redundat in errorem personae, non versatur circa substantiam personae, sed dumtaxat circa accidentalia & extrinseca, qualitates enim sunt quadam accidentia adherentia personae; bene tamen, quando error qualitatis redundat in errorem personae. Tum vero error qualitatis redundare censetur in errorem personae, quando qualitas est simul cum persona per se intenta a contrahente; non redundat vero, quando non est simul cum persona per se intenta, etiam si error talis qualitatis, causam dederit contractui. Unde si femina contrahat cum aliquo, quem principem esse existimat, per se intendens in personam, & concomitantem solum in qualitatem & nobilitatem, valet Matrimonium, tamen ille non sit princeps, sed talem se esse finxerit. E contra vero, si femina contrahens, simul cum persona, per se intendat dignitatem & qualitatem, ita ut utrumque simul per modum unius integri & totaliter obiecti, consensum terminet, & res ipsa non contraxisset, si scivisset non esse principem, non valet Matrimonium. Unde D. Thom. hic qu. 51. artic. 2. ad 5. sic ait: Error nobilitatis, in quantum injussum, non excusat Matrimonium, eadem ratione qua nec error qualitatis: Sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personae, tunc impedit Matrimonium; unde si consensus mulieris servatur in ipsam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit Matrimonium: si autem directe intendit

consentire in filium Regis, quicumque sit ille, tunc si alius presentetur ei, quam filius Regis, est error persona, & impedimentum Matrimonii.

Hoc impedimentum recte, & breviter declaratur Can. unico qu. 1. h. verbis: Consensus est duorum vel plurium sensus in idem: qui autem errat, non sentit; ergo non consentit, id est simul cum alio sentit. Verum non omnis error consensus excludit: Sed error alius est persona, alius fortuna, alius conditio, alius qualitas. Error persona est quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortuna, quando hic putatur esse dives qui est pauper, vel e converso. Error conditio, quando putatur esse liber qui servus est. Error qualitas, quando putatur esse bonus qui malus est. Error fortuna & qualitas, conjugii consensum non excludit, similiter qui ducit in uxorem morosam vel corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non peccatam admittit, & aliam ducere.

Dico quarto, errorem conditionis sive servitutis, dirimit Matrimonium jure civili & canonico, non tamen jure naturali.

Prima pars probatur afferendo textus utriusque juris, nam authent. de nuptiis §. si vero detronati, sic dicitur: si ab initio putaverit aliquis liberam jungi personam, illa vero famula postea declaratur existens, non dicitur solvi Matrimonium, sed ab ipso initio negum matrimonium fieri propter inaequalitatem personarum. Item cap. si quis ingenuus qu. 2. sic habetur: Si quis ingenuus bonam uxorem ancillam alterius acceperit, & existimat quod ingenua sit, ipsa femina fuerit postea in servitute detecta, si eam a servitute redimere potest, faciat, si non potest, si voluerit, aliam accipiat. Et cap. ad nostram de conjugio servorum: Si consuetudo quod miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod postquam intellexerit conditionem ipsius, nec factu nec verbo consenserit in eandem, contrahenti cum alia liberam ipsi concedat auctoritate Apostolica facultatem.

Rationem sibi patet S. Thom. hic qu. 51. artic. 1. ubi sic dicitur: In Matrimonio contracta obligatur unus conjugum alteri ad debitum reddendum, id est si ille qui se debet esse, est impotens ad servendum, ignorantia hujus impotentia in eo cui sit obligatio, tollit contractum: sicut autem per impotentiam contractus efficitur aliquis impotens ad servendum debitum, ut omnino non possit solvere: ita per servitutem ut libere debitum reddere non possit; & ideo sicut impotentia eorumque ignorata, impedit Matrimonium, non autem si servitus ignorata, impedit servitutis ignorata, Matrimonium impedit.

Quod vero illud non dirimat jure natura idem S. Doctor ibidem resp. ad 3. aperte tradit, ratiocine id statet: Nam servitus ex natura rei non contrariatur Matrimonium, alioquin, etiam quando non ignoratur, ipsum invalidaret; siquidem quod aliquid ignoretur vel sciat, impermens est ad contrarietatem.

Neque dicas, ideo valere Matrimonium liberi cum serva, quando conditio non ignoratur, quia liber juri suo derogat. Nam si hoc impedimentum esset naturale, & ex natura rei repugnaret Matrimonium, non magis posset voluntas libera contrahentis illi derogare, quam impedimento consanguinitatis vel impotentiae naturalis. Sunt enim impedimenta naturalia Matrimonii stabilia semper, & immutabilia quacumque humana potestate.

Obijcies: Quod contrariatur essentialibus Matrimonii, ipsum destruit ex natura rei: Sed error servitutis contrariatur essentialibus Matrimonii libera scilicet potestati tradendi corpus suum ad actum conjugalem, cum non possit ad libitum dare operam conjugali officio, a quo impeditur, per obsequia quae tenetur prestare domino: Ergo error servitutis dirimit Matrimonium ex natura rei.

Respondet errorem conditionis contrariari quidem, at non simpliciter, sicut error personae, sed tantum secundum quod essentialibus Matrimonii: quia licet servus non possit libere tradere potestatem sui corporis, nec tam facile reddere debitum conjugale, potest tamen absolute illam tradere, & debitum reddere, nimirum quando ex rationabili causa non impeditur a domino, alias etiam si sciretur servitus, nullum esset Matrimonium. Patet tamen jus humanum quo irritatur Matrimonium contractum cum errore servitutis, quando is qui contrahit est liber, habere maximum fundamentum in jure naturali: tum quia nisi jus humanum ipsum irritasset, esset inaequalitas maxima in tam gravi contractu; si quidem ille qui liber est, concedit plenam potestatem sui corporis, servus vero potestatem tantum secundum quod, tum etiam, quia tale Matrimonium esset alio modo in injuriam proles, quoniam non ita commode educari posset in illo, eum non posset esse perpetua habitatio conjugum.

Ex his explicatur manet secundum impedimentum dirimitis, nempe conditio, quae servitutem denotat, Matrimonio quodammodo repugnans. Tribus autem modis aliquis potest fieri servus. Primo natiuitate, ut cum de ancilla nascitur, partus enim quoad libertatem & servitutem sequitur matrem, quoad dignitates vero, honores, & no-

& nobilitatem, patrem; ut in jure dicitur. Secundo, jure belli, quo jure captus fit servus capientis, ejus morte in servitute commutata. Quod locum non habet apud Christianos, qui ob dignitatem religionis quam profitentur, a servitutis conditione eximuntur, ut ait Sylvester verbo servus quest. 3. Tertio emptione, ut cum a seipso vel ab alio venditur. Unde in Institutis §. Servi de jure person. sic dicitur: Servi aut nascuntur, qui suam. Nascuntur ex ancillis nostris, sunt jure gentium, id est capivitate, aut jure civili, cum homo liber, major viginti annis, ad pretium participandum sese vendidit passus est.

ARTICULUS II.

Quo jure votum sollemne Religionis dirimat Matrimonium subsequens?

10 Certum & indubitatum est apud omnes, votum sollemne Religionis dirimere quodcumque Matrimonium subsequens; hoc enim definitur ab Alex. III. cap. Meminimus, ab Innoc. III. cap. Finali, qui clerici vel voventes; a Bonifacio VIII. cap. unico de voto in 6. & novissime a Trid. sess. 24. can. 9. cuius verba infra referemus. Verum celebris est controversia inter Theologos, quod jure tale votum dirimat Matrimonium subsequens? Fluit enim ex Reventoribus, post Scotum, Richardum, Paludanum, & Cajetanum, afferunt votum sollemne Religionis, non dirimere Matrimonium subsequens, nisi jure humano Ecclesiastico. E contra vero D. Thom. hic qu. 12. art. 2. & 2. qu. 88. art. 11. nec non quodlib. 3. art. 13. & quodlib. 10. art. 11. ejusque discipuli, quos sequuntur Maldonatus, infra referendus, Valentius, Sylvius, & Lopez, docent, votum sollemne Religionis, jure natura; sive ex sui natura, habere quod dirimat Matrimonium contractum.

§. I.

Sententia D. Thomae praesertim.

11 Dico igitur: Votum sollemne Religionis, jure natura dirimit Matrimonium subsequens.

Probat primo conclusio ex Tridentino can. 9. supra citato, in quo sic dicitur: Si quis dixerit Clericus in Sacris Ordinibus constitutus, vel regulares castitatem sollemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel vero, anathema sit. Ad quid enim distinguisset Concilium irrationem Matrimonii causatam lege Ecclesiastica in iis qui sacris Ordinibus initiati sunt, ab ea quae in Religiosis causatur per votum, si jure solum Ecclesiastico, etiam in iis, dirimi censuisset?

12 Probat secundo: Votum sollemne Religionis dissolvit Matrimonium ante validum, si fit inconsummatum, id quod non jure Ecclesiastico tantum, ut colligitur ex hac sententia Christi, Marci 10. Quod Deus conjunxit, homo non separet: Ergo a fortiori Matrimonium subsecutum; minor siquidem vis & efficacia requiritur ad dirimendum Matrimonium subsequens, quam antecedens, ut patet in Ordine sacro dirimendo Matrimonium consequens, & non antecedens. Item majus est dirimere Matrimonium jam constitutum, quam impedire illud ne efficiatur.

13 Probat tertio: Si votum sollemne Religionis dirimat Matrimonium solum ex constitutione Ecclesiae, fieri poterit quod sollemniter professus validum inerat Matrimonium, quamvis non sit dispensatum in eius voto, si nimirum Summus Pontifex constitutionem illam tollat, & votum sollemne praecise in eo vigore quem habet ex natura sua relinquat. Falstas autem consequens constat ex c. Cum ad monasterium, de statu Monachorum in fine, ubi Innoc. III. sic ait: Abdicatio pauperum, sicut etiam custodia castitatis, adeo annexa est regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.

14 Confirmatur: Quia jure tantum Ecclesiastico votum sollemne castitatis est annexum statui Clericali, potest Papa, relinquendo Clericum in suo statu Clericali, dispensare cum eo ut Matrimonium contrahat, vel Matrimonio jam contracto utatur, ut constat in Sacerdotibus Graecis, qui ex dispensatione Ecclesiae, utuntur conjugio ante facram Ordinationem inito: Ergo similiter, si votum sollemne Religionis, non ex natura sua, sed ex sola Ecclesiastica constitutione vim habeat impediendi Matrimonium contrahendum, & dirimendi contractum, poterit Papa, hanc vim a voto sollemni tollere, auferendo praecceptum Ecclesiasticum, & tamen relinquere tale votum in suo subiecto; subindeque efficere poterit quod Monachus manens Monachus nubat, uxoremque ac liberos in monasterio habeat: quod aperte repugnat praedictae decretali Innocentii III. ut statetur ipsi Adversarii.

15 Demum eadem fieri potest conclusio ratione D. Thomae locis citatis: Jus natura dicitur, ut qui semel aliquid donavit totaliter alteri, eaque donatio fuit ab illo

acceptata, non possit illud idem postea alteri tradere: Sed per votum sollemne Religionis, vovens totaliter se donat Deo, corpusque illi ad perpetuam continentiam tradit; quae donatio & traditio ab eo per Religionis Praelatos acceptatur: Ergo jus natura dicitur, quod non possit suum corpus alteri per Matrimonium tradere, in usum contrarium voto, quo Deo illud donavit & tradidit.

Confirmatur: Ideo Matrimonium ratum dirimit ex natura sua Matrimonium subsequens, quia cum per prius Matrimonium, contrahens suum corpus tradiderit uni uxori, non potest ipsum, ea vivente, tradere alteri: Ergo cum per votum sollemne Religionis, vovens suum corpus Deo totaliter mancipat, ne dicamus illam traditionem habere minus roboris, ea qua visum suum corpus tradit uxori per contractum matrimoniale, dicendum quod jure natura dirimit Matrimonium subsecutum.

Nec valet quod ait Martinus hic disput. 74. sess. 17. num. 43. quod licet professio Religiosa contineat aliquam sui traditionem, non tamen omnimodam, & naturaliter incompatibilem cum Matrimonio; sed sicut servus voluntarius, aut emptitius, non ita domino traditur, ut privetur naturali jure Matrimonium inveniendi, domino licet invito; sic professus in Religione approbata, non ita se tradit Deo & Religioni, ut quantum est ex natura rei, non possit valide Matrimonium contrahere, quamvis illucite. Non valet, inquam, hac responsio: esse enim professio Religiosa non importet omnimodam sui traditionem Deo & Religioni, importat tamen traditionem sui ad casum vivendum: Sed traditio sui ad casum vivendum, est ex sua natura incompatibilis cum Matrimonio; & cum illud sit sui traditio ad copulam carnalem: Ergo professio Religiosa importat traditionem naturaliter incompatibilem cum Matrimonio, subindeque habet quod ille jure natura, seu ex natura sua, dirimat, non vero solo jure positivo Ecclesiastico. Ex quo patet, exemplum servi ab illo Auctore adductum, non esse ad rem; servus enim voluntarius, vel emptitius, non esse ad traditum domino ad casum vivendum, sicut Religiosus Deo, sed ad exercenda opera servituti; unde licet servus per servitutem non privetur naturali jure Matrimonium inveniendi, bene tamen Religiosus per votum sollemne castitatis: quare si non obstante tali voto, Matrimonium contrahat, peccat contra jus naturale, & divinum, & non solum contra jus positivum & Ecclesiasticum. Unde in cap. Si quis sacro 27. quest. 1. de virginibus Deo factis, & postea nubentibus, sic dicitur: Verbo Domini, & canonica auctoritate, in hac sancta synodo (Triburien) praecipimus, ut omnino separentur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

16 Obijcies primo: Quando duo vincula ita se habent, 18 quod sint compoßibilia, unum non solvit aliud ex natura sua. Sed votum sollemne Religionis & Matrimonium subsequens, sunt duo vincula sic se habentia, ut sint compoßibilia simul; conjugatus enim potest Religionem sollemniter profiteri, etiam post consummatum Matrimonium, de licentia conjugis; Ergo votum sollemne Religionis non dirimit Matrimonium ex natura sua.

19 Respondeo distinguendo Minorem: Votum sollemne Religionis, & Matrimonium sunt duo vincula simul compoßibilia, si votum sollemne Religionis sequatur Matrimonium, concedo Minorem. Si e contra ipsum praecedat, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur: Sicut impotentia ad actum conjugalem non sic repugnat vinculo Matrimonii, quin possit Matrimonium prius contracto supervenire, abique eo quod ipsum dissolvat; si tamen ipsum praecedat, irritabit Matrimonium subsequens: ita votum sollemne Religionis non sic repugnat Matrimonio, quin possit illud subsequi: si tamen praecedat, Matrimonium post ipsum contractum jure natura irritum est. Ratio vero disparitatis manifesta est, ut enim Matrimonium valide contrahatur, debet contrahens transferre in alium sui corporis potestatem, & jus eo utendi: quod tamen repugnat votum sollemni Religionis praecedente; quandoquidem, ut supra dicebamus, per tale votum vovens talem potestatem a se omnino abdicat, & ad casum vivendum perfecte Deo se tradit: At vero post Matrimonium contractum, potest esse quod unus conjugum vel amiserit per adultarium potestatem utendi corpore alterius conjugis, vel sponte juri illi cedat, & consequenter nihil fit amplius in eius Matrimonio, quod repugnet voto sollemni. Ex quo intelligitur, falsum esse quod ait Martinus supra citatus, cuius est hoc argumentum, quod non est major incompatibilitas ex natura rei inter vinculum Matrimonii & professionem Religiosam, & Matrimonium illam praecedat, sive sequatur; liquet enim ex jam dictis, manifestam esse disparitatem inter Matrimonium antecedens professionem Religiosam, & Matrimonium illam subsequens.

20 Obijcit secundo idem Auctor ibidem: Traditio Professi ad usus Religionis ad quos ille se dat, & subijcit, non est maior, quam sit traditio per quam mancipium subijcitur domino per venditionem, aut alium titulum iustum: At hac non obstat quod minus mancipium possit valide intrare Matrimonium, etiam domino resistente: Ergo pariter traditio Professi ad usus Religionis, qua fit in voto sollemnium, non impedit quin Religioſus valide possit, spectato iure nature, contrahere Matrimonium.

21 Verum huic argumento solutio patet ex supra dictis, ostendimus enim supra, traditionem qua fit per vota sollemnium Religionis esse diversae rationis ab ea qua mancipium tradit se domino: nam per vota sollemnium Religionis votens tradit se Deo & Religioni ad castitatem vivendum, & servandum perfectam continentiam; mancipium vero tradit se domino solum ad exercenda opera servilia; quare licet ista traditio non opponatur ex sua natura Matrimonio, nec illud iure nature dirimat, bene tamen illa. Ratio vero est traditio qua fit per professionem Religioſam essentialiter importat votum castitatis, est quia per illam Religioſus totaliter mancipatur cultui divino, id est divinum contemplationi & meditationi; haec autem perfecta traditio ius ipsius in ordine ad cultum divinum, necessario includit castitatem, eo quod Matrimonium contemplationi omnino repugnet: tum quia contemplatio purissimis spiritibus fovetur: usus autem venerorum consumit multitudinem spirituum, sanguinemque a corde distrahit, cuius collectio ad mentis attentionem necessaria est; unde mentis hebetudinem causat. Tum etiam, quia Matrimonium multas affert curas & sollicitudines, ad placendum uxori, ad educandos liberos, & providendum eis de necessariis ad vitam sustentationem. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divitiis est.*

22 Obijcit tertio Martinus: Votum sollemnium Religionis non dirimit Matrimonium, nisi quatenus est sollemnium: Sed voti sollemnitas est de iure tantum Ecclesiastico: Ergo iure tantum positivo Ecclesiastico, non vero iure naturali, aut divino, votum sollemnium Religionis Matrimonium dirimit. Major est certa, votum enim simplex castitatis, vel Religionis, non dirimit Matrimonium, sed tantum ipsum impedit; unde inter impedimenta prohibentia numeratur, ut disputatione praecedenti declaravimus. Minor vero probatur ex Bonifacio VIII. qui interrogatus ab Episcopo Biterrensi, quod votum dici debeat sollemnium, & ad dirimendum Matrimonium efficax, respondit c. unico de voto, & voti redemptione in 6. quod cum voti sollemnitas ex sola constitutione Ecclesiae sit inventa, Matrimonium vero vinculum sit ab ipso Deo, illud votum debet dici sollemnium quod per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem in Religione approbata sollemnizatur: ubi Pontifex expresse asserit sollemnitatem voti esse ex sola constitutione Ecclesiae, & in hoc differre a vinculo Matrimonii. Unde inserti Ecclesiam non admittit nisi duplex votum sollemnium celebratum in susceptione Ordinis, aut per professionem Religioſam.

23 Respondeo concessa Majori, negando Minorem; & ad ejus probationem ex Bonifacio Decretali desumptam dico, duplicem esse voti sollemnitatem, unam substantialem & essentialem, consistentem in traditione sui ipsius facta in manu superioris ad servandum illa quae promittuntur, & in acceptatione quam is facit nomine Dei; aliam vero accidentalem & ceremoniam, quae consistit in caremonia & modo, in benedictione & consecratione quibus cum ex statuto Ecclesiae fit illa traditio & acceptatio; Pontifexque loco citato non loqui de prima sollemnitate, sed tantum de secunda, quae est ex sola constitutione Ecclesiae, subindeque nihil ex hac definitione sequi contra sententiam, quae asserit votum sollemnium non habere ratione sollemnitatis accidentalis, sed substantialis, quod iure nature, seu ex natura sua Matrimonium dirimat. Immo potius ex hac Constitutione Bonifacii potest D. Thomas sententiam confirmari: cum enim vinculum iure Ecclesiastico introductum, superveniens vinculo introducto iure divino, non possit ipsum solvere, quia hoc est fortius; & tamen votum sollemnium Religionis dirimat Matrimonium ratum, nondum consummatum, cuius vinculum ex hac Bonifacii Constitutione est de iure divino; concludi debet, voti sollemnium vinculum non esse iure Ecclesiastico, sed naturalis & divini.

24 Dices primo: Ex eo dumtaxat quod accidentale est votum sollemnium, non potest desiniri quodnam votum debeat dici sollemnium ad dirimendum Matrimonium: Sed ex eo quod sollemnitas, de qua loquitur Pontifex loco citato, fit ex sola Constitutione Ecclesiae inventa, deducit, duplex solum reperiri votum sollemnium hunc effectum producent, nempe votum sollemnium celebratum in susceptione Ordinis sacri, & per professionem in Religione approbata: Ergo non loquitur de sollemnitate accidentali, sed de substantiali.

Respondeo distinguendo Majorem: Ex eo quod accidentale est votum sollemnium, non potest desiniri quodnam votum debeat dici sollemnium ad dirimendum Matrimonium, tanquam ex eo in quo substantia voti sollemnium consistat, concedo Majorem: Praeficit tanquam ex signo indicativo ipsius, nego Majorem. Sollemnitas enim illa accidentalis, cum non sit in usu Ecclesiae pro votis simplicibus, sed tantum pro sollemnibus, indicat quodtunc fit votum sollemnium. Similiter de qua loquitur Pontifex, cum sit ex sola Constitutione Ecclesiae, deducit, duplex solum reperiri votum sollemnium tanquam ex eo in quo substantia voti sollemnium consistit, nego Minorem. Tanquam praeficit ex signo, concedo Minorem. Sensus ergo definitionis Pontificae verus est iste: Nos igitur attendentes, quod signa extrinseca declarativa voti sollemnium, sunt ex Constitutione Ecclesiae, cumque ex tali Constitutione signa illa in duobus solum votis reperiantur, scilicet in eo quod Ordinibus sacri habent annexum, & in illo quod emittitur in professione Religionis, statum illa duo vota dumtaxat esse sollemnium, & dirimere Matrimonium subsecutum.

Dices secundo: Si Pontifex statueret, ut ex vota quae in Religione approbata, verbi gratia in Ordine Praedicatorum, emittantur, non essent sollemnium, quantumcumque votens in tali Religione, intenderet sollemniter votere, & seipsum Deo tradere, nunquam tamen emitteret votum sollemnium: Ergo non solum sollemnitas accidentalis, sed etiam substantialis pendet ab Ecclesia.

Sed nego consequentiam: Sicut enim licet Ecclesia possit efficere ut Matrimonium quod antea erat verum & legitimum, non sit amplius tale, appendendo aliquas conditiones, sine quibus non est validum ut patet in Matrimonii clandestinitis quae post Tridentinum non sunt valida; inde tamen colligi nequit, quod substantia & essentia Matrimonii ab Ecclesia dependeat: ita quavis votum sollemnium dependeat ab Ecclesia, quantum ad aliquas conditiones, puta quod fiat in tali aetate, in tali Religione, in manibus talis superioris, ita ut sine illis non sit; non sequitur tamen, quod ipsa substantia voti sollemnium non sit de iure divino, subindeque independens ab Ecclesia.

Obijcit quarto: Quidquid convenit voto sollemnium essentialiter, convenit etiam voto simplici: Sed votum simplex non habet ex propria natura vim dirimendi Matrimonium, ut articulo praecedenti ostendimus: Ergo nec votum sollemnium. Major probatur, quia votum simplex & votum sollemnium, si sint de eodem objecto, sunt ejusdem speciei.

Respondeo, negando Minorem, & ad illius probationem, distinguo Antecedens: Sunt ejusdem speciei, formaliter, quatenus sub eadem ratione formali Religionis tendunt in obiectum, concedo. Materialiter & in esse entis, nego. Sicut omnes actus aliorum scientiae, sunt ejusdem speciei formaliter, quatenus tendunt in obiectum scientiae, sub ratione ejus formali, & tamen materialiter & in esse entis sunt diversae speciei, quia habent objecta materialia speciei distincta. Differentia autem essentialis inter votum sollemnium & simplex, consistit in hoc quod simplex, est tantum promissio facta Deo, at vero sollemnium supra promissionem, addit traditionem & acceptationem.

Dices: Traditio & promissio inter se pugnant: id enim quod traditur & donatur, promitti non potest: Sed votum quodcumque, etiam sollemnium, essentialiter habet rationem promissionis, ut constat ex definitione essentiali voti, quia dicitur quod sit promissio Deo facta. Ergo falsum est quod traditio fit voto sollemnium essentialis.

Respondeo, distinguendo Majorem: Traditio & promissio inter se pugnant, si alio referantur ad idem, concedo. Si promissio sit de uno, & traditio de alio, nego. In voto autem sollemnium, traditur unum, & promittitur aliud; traditur enim arbor, & fructus promittuntur, id est traditur ipsa persona votentis, & promittuntur actus ad observantiam voti necessarii, qui sunt veluti fructus potentiarum animae nostrae, quae per votum sollemnium Deo traduntur & consecrantur.

Obijcit quinto cum Martino: Si votum sollemnium dirimeret ex natura rei Matrimonium subséquens, semper illud dirimisset, quotiescumque fuisset emissum ante Matrimonium: Atqui primis Ecclesiae saeculis res ipsa non diremit; Ergo votum sollemnium ex natura rei Matrimonium non dirimit. Major patet, Minorem vero probat Auctor citatus ex eo quod in primitiva Ecclesia Monachi qui post votum sollemnium castitatis Matrimonium contraxerant, licet excommunicarentur, ab uxoris tamen non separabantur, ut patet ex Concilio Chalcedonensi A. 451. can. 16. cuius verba sunt: *Virginem quae se Deo consecravit, similiter & Monachum, non licet nuptialia iura contrahere: quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur.* Idem constat ex Concilio Ancyrano can. 10. & ex Neocaesariensi can. 1.

Respon-

30 Respondeo, concessa Majori negando Minorem, & ad ejus probationem, nego Antecedens, falsum enim est quod in primitiva Ecclesia non separarentur ab uxoris vel maritis, Monachi aut Virgines, quae post votum sollemnium castitatis Matrimonium contraxerant; oppositum enim aperte constat ex Basilio Episc. 1. ad Amphilochem can. 6. ubi sic habetur: *Caeniorum* (id est Religioſorum) *seruicium pro Matrimonio non reputatur, sed eorum conjugium omnino dirigitur.* Et in Concilio Triburiensi supra relato, de virginibus Deo sacris, & postea nubentibus, sic dicitur: *Verbo Domini & Canonica auctoritate in hoc sacra Synodo precipimus, ut omnino separentur.* Unde licet in Concilio Chalcedonensi non fiat mentio de separatione, sed tantum de excommunicatione, non recte colligit Auctor citatus quod Monachi aut Virgines, quae post votum sollemnium castitatis Matrimonium contraxerint, in primitiva Ecclesia non separarentur ab uxoris, vel maritis, siquidem ex auctoritate negativa nihil concluditur, praesertim cum adducuntur iura positiva in contrarium. In concilio vero Ancyrano, & Neocaesariensi non fit mentio de Monachis, aut monialibus, sed de Sacerdotibus, ut constat ex verbis Concilii Neocaesariensis: *Praedixerunt, si autem dixerit, ab Ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, extra Ecclesiam abijcitur; & penitentiam inter Latinos reddenda agat.* Unde haec tellimonia non militat contra nostram sententiam, fatum enim votum sollemnium Ordinis sacri annexum non dirimere Matrimonium iure divino, sed tantum Ecclesiastico. Rationem vero discriminis inter votum sollemnium annexum sacris Ordinibus, & emissum in Religione approbata, adducemus infra, cum agemus de impedimento Ordinis.

31 Obijcit ultimo: Si votum sollemnium in Religione approbata, iure nature nullum redderet Matrimonium subsecutum, maxime quia, ut dictum est, praeter promissionem omni voto essentialia, habet insuper adiunctam traditionem & acceptationem: Sed haec ratio nulla est: Ergo ruit praecipuum fundamentum nostrae sententiae. Major constat ex supra dictis. Minor probatur. Vota quae post biennium probationis emittuntur a Religioſis Societatibus Jesu, non sunt sollemnium, sed simplicia, ut dicitur expresse in Bulla Gregorii XIII. concessi Societati, & incipiente, *Ascendens Domino in Naviculam*, proinde non ex iure nature sed tantum ex iure Ecclesiastico ibidem contento, reddunt inhabiles ad contrahendum Matrimonium; & tamen in eis est vera traditio & acceptatio Ecclesiae, quia per ea vota vere qui illa emittunt, se tradunt, subijciunt, & mancipant arbitrio & potestati superioris; ut ut minimis impoſterum sit eis integrum, absque apostasie laebe, ab eo instituto propria auctoritate, sed tantum aliena recedere: vota quae illa a superiore acceptantur, nomine Dei, ex facultate sedis Apostolicae: Ergo &c.

32 Respondeo distinguendo Majorem. Quia votum sollemnium, praeter promissionem, habet adiunctam traditionem, qualemcumque, nego. Perfectissimum & absolute, concedo. Ad probationem vero in contrarium desumptam ex votis simplicibus, quae post biennium probationis a Religioſis Societatibus Jesu emittuntur, dicendum est, quod licet in votis illis sit aliqua traditio & acceptatio, illa tamen non est perfecta & absoluta, sicut illa quae fit per vota sollemnium ejusdem Societatis & aliorum Ordinum, sed imperfecta, & conditionata, quia per illa votentes se tradunt quidem, subijciunt, & mancipant arbitrio & potestati superioris, non absolute tamen, sed tantum sub conditione quod remaneant in Societate, ita ut si dimittantur, remaneant liberi a votis. Unde Vasquez hanc ponit differentiam inter votum sollemnium, & vota simplicia, quae post biennium emittuntur in Societate Scholares, & post diuturniorem probationem Coadiutores spirituales formati, quod traditio in illis est temporanea, ad natum Praepositi Generalis, iuxta causas in Constitutionibus ejusdem Societatis expressas; at vero traditio in voto sollemnium, ex natura sua perpetua est. Non mirum ergo, quod vota illa simplicia non dirimant Matrimonium ex natura sua, sed tantum iure Ecclesiastico, licet sollemnium illa praesent, etiam ex iure nature.

S. III.

Solvitur alia Obiectio.

33 Denum contra D. Thomae sententiam Recentiores obijciunt: Sedes Apostolica non potest dispensare in his quae sunt de iure nature; Sed dispensavit cum aliquibus religioſis professis, ut nubere: Ergo votum sollemnium Religionis non dirimit Matrimonium iure nature, sed dumtaxat iure positivo Ecclesiastico. Majorem ut certum supponunt, Minorem vero probant ex variis historiis, quibus Summum Pontificem, cum Religioſis professis, ut Matrimonium contraherent, dispensavit. *Theol. Gener. Tom. V.*

asse refertur, In primis enim dicitur, Caesarius III. Constantiam Rogerii Siciliae Regis filiam, qua in Monasterio Paenormitano monialis fuerat, dispensasse, ut Henrico Imperatori quinquagenaria nubere. Cum enim Rogerius in expeditione Ierusalymitana mortuus esset, Tancredus ejus regnum tyrannice occupavit, & insuper Caesario obedientiam denegavit. Qua de re commotus Pontifex, eum regno privavit, atque Henricum sextum Imperatorem iussit ducere Constantiam, ut eo Matrimonio ad regnum Siciliae integrum jus haberet. Ex quo matrimonio natus est Fredericus secundus, ut constat ex veteri Epitaphio, quod lapidi sepulchrali post mortem Constantiae insculptum est.

*Cesaris Augusti laet hic Constantia conjux.
Undevisi iustro ac placida rugosa Sacerdos
Facienda parium Fredericum Augustum secundum.
Pro meritis sacra tenet se esse Paenormis.*

Ubi vocatur rugosa Sacerdos, quod multis annis in Monasterio Paenormitano monialis fuerat. Secundo refertur, fuisse dispensatum cum Ramiro Arragoniae Rege qui erat Monachus S. Benedicti, ut nubere, & Arragoniae regnum occuparet. Addunt alii, Casturium, cum per decem annos in Monasterio Callinensi fuisset Monachus, immo & Diaconus, a Benedicto IX. ad Polorum petitionem dispensatum fuisse, ut ad regnum & ad nuptias transiret. Denum alii asserunt, Alexandrum III. ad restituendam Justinianae familiam, in bello contra Turcas extinctam, Nicolaum Justinianum, patrem B. Laurentii Justiniani, dispensasse, ut relicto habitu S. Benedicti, nubere, ut refert Bernardus Justinianus ejus nepos, in vita ipsius Laurentii, apud Surium 8. Januarii.

Huic obijctioni, concessa Majori, nego minorem, ad ejus probationem respondeo primo fabulosa esse, vel saltem dubia, praedictas historias. Nam in primis quoad eam quae est Constantiae, Baronius ad annum 1186. haec scribit: *Quod autem ex Recentioribus quampures asserunt, Constantiam monialem fuisse, scias fabulosum esse, neque commentum foras inde excogitatum, quod ipsa asserunt fuisse in Monasterio, ne si desisset Regis mascula proles, spes esse passisset nuberet Regi, cum dicit regni. Idem etiam addit, nullum scriptorem temporis Frederici aliquid dicere de monachata Constantiae: Quod si (inquit) nubes vestrum id rumore quodam contulisset, potius quam auctoritate Majorum, vel certa ratione asseruisse cognoscitur, eadem plene qua effertur levitate, reficitur.* Caesarius enim non favebat Henrico, sed potius Tancredo: quomodo ergo dispensavit in Matrimonio Constantiam cum Henrico, contra Tancredum? Quomodo etiam, illa quinquagenaria nuptis, quae nec annum quadragesimum quartum attingeret, cum defuncta esset? Qua etiam ratione fieri potuit, ut Constantia in Monasterium detraheretur a patre, perterritio vaticinio Joachimi Abbatis, qui assererat quod si nubere, foret Siciliae faecula sax, ut narrat Fazellus, cum ipsa nata sit posthuma, ut omnes fatentur Historici, & constat his verbis quae refert Baronius:

*Sponsa fuit speciosa nimis Constantia dicta,
Posthuma post patrem materno votare relicta.*

Denique ipsa variatio Auctorum, satis ostendit, hanc historiam meram fabulam esse: cum alii Caesarium III. alii Alexandrum III. dicant Constantiam dispensasse, cum tamen Alexander III. mortuus esset quinque fere annis antequam ipsa exiret e Monasterio. Addit P. Nicolai 2. 2. quaest. 33. in scholis ad art. 3. quod si qua fuisset revera data dispensatio a Caesario, vel Alexandro, D. Thomas iisdem temporibus vicinus, eam haud dubie non ignorasset.

Ad exemplum Ramiri Arragoniae Regis, Soto dicit, Historiam illam in Chronicis illius regni non haberi, sed esse apocrypham; praesertim cum non nominetur Pontifex, a quo talis dispensatio emanaverit; & Sylvester verbo votum, Ramirum non fuisse professum asserat.

Ad aliud de Castinero, similiter dico, illud non careat dubitate, cum alii Benedictum IV. alii Clementem II. cum eo dispensasse narrent, & illius dispensationis nullum extet monumentum, ut apud Baronium ad annum 1041. videre est. Suntque ex gravibus Auctoribus qui dicunt, Casturium emississe quidem vota sua, sed vi & metu a Boleslao coactum, quod inde colligitur, quod exilio pulsus una cum matre, Cluniacum petiit, ibique ad majorem securitatem, habitum Monachi suscepit. Ubi tamen, statu regni mutato, audivit Legatos venisse, ut ad regnum ipsum reducerent, incredulis gaudio (inquit Longius) affectus est.

Ad ultimum de Nicolao Justiniano, respondeo etiam ex Baronio citato, Auctorem hujus historiae duo in se pugnantia scripsisse: ait enim Alexandrum III. cum Nicolao Justiniano dispensasse, & Beatum Laurentium Cc 2 Just.

Justinianum ejus filium, claruisse tempore Eugenii IV. & ab eo Episcopali infusa insignitum fuisse. Quae duo inter se pugnant; quandoquidem Alexander III. Eugenium pluraquam ducentis annis praecessit. Prior enim obiit anno 1181. posterior creatus est anno 1143. Cur ergo haec exempla tam impotenter urget lib. 12. Moralium institutionum Aporius, & similia, vel incerta, vel falsa, ut doctriam D. Thome contradicat? Rectius sane Lopez apud Sylvium: *Licet dicit Navarrus, quod major pars non dubitat, Papam dispensare posse super solemnem voto Religio- nis facta, ex gravissima necessitate; quidquid sit de hoc, sal- va Ecclesia Catholica censura; qua de hoc haecenus nihil definitur, teno cum S. Thoma, & sequentibus ejus, quia illius rationes videntur fortiores.*

Similia docet Maldonatus in tractatu de sacramentis, agens de impedimento voti quæst. 3. ubi sic ait: *Ad tertiam questionem respondeo, nonnullos Scholasticos, & juris Ec- clesiastici interpretes, docuisse posse Ecclesiam dispensare cum iis qui fecerunt votum solemnem castitatis, ut contrahant Ma- trimonium. Sed qui hac dicunt, videntur mihi majorem ra- tionem habere exemplorum Pontificum Romanorum, quam scri- ptura sacra. Nam qua Theologia est dicere Ecclesiam posse dispensare in jure naturali, & in jure divino? Votum au- tem castitatis obligat jure naturali, & divino, quis negat nisi hereticus? Ignor neque Papa, neque Ecclesia potest dis- pensare.*

Respondeo secundo cum eodem Auctore ibidem, dato quod praedicta hitoria vera sint, posse causas aliquas in- cidere, in quibus Ecclesia non quidem dispensat in voto sol- lemni, sed per interpretationem equi & boni declarat eum qui fecerit votum, non teneri voto. Nam cum sit regula ge- neralis, collecta ex jure divino & naturali, ut votum mi- noris boni relaxetur per votum majoris boni; & cum non de- beat esse iudicium privatum uniuscujusque, an aliquid bo- num quod fortasse occurrit, sit majus quam servare castita- tem perpetuam, ad quam se committit voto solemnem, sed de- beat id relinquere iudicio totius Ecclesiae; & cum possit aliquando occurrere hujusmodi bonum multo majus, quam est serva- re castitatem: non dubium est, quin tunc Ecclesia, aut no- mine totius Ecclesiae, Pontifex possit declarare, illum in eo casu non teneri ad observationem voti. Quod credendum est fuisse illum Papam cum Rege Aragonum, & illum alterum cum Rege Poloniae, quia iudicaverunt bonum publicum totius re- gni esse praesentius, quam bonum privatum unius Monachi. Sed hoc non est proprie dispensare: nam dispensatio vocatur, cum inuente voto integro, aliquis liberatur ab illius obser- vatione. Haec Maldonatus, quibus aperte declarat, dato etiam quod praedicta hitoria vera essent, hoc tamen non prejudicare nostrae sententiae, eo quod praedicta concessio- nes, non faciunt vere dispensationes, sed dumtaxat nul- litatis voti declarationes.

ARTICULUS III.

De impedimento cognationis.

35 Cognatio triplex est: carnalis, quae per carnalem gene- rationem derivatur: spiritualis, quae per regene- rationem in sacro fonte Baptismatis, & in Christianis Sa- cramento: & legalis, quae per legis adoptionem compar- tur: de quibus breviter hic agendum est, cum per il- las Matrimonium dirimatur.

S. I.

De impedimento cognationis carnalis, seu consanguinitatis.

Consanguinitas, sic dicta, quasi mutua sanguinis uni- tas, ex D. Thoma hic quæst. 44. art. 1. est vinculum personarum ab eodem stipite descendens carnali propagati- one contractum, idest relatio quadam mutua in communi- catione ejusdem sanguinis fundata, qua amicitiae radix est. Unde Augustinus 12. de civit. Dei c. 21. ideo Deus ab uno homine omnes propagari voluit, ut non tantum inter se naturae similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur. Quod non servavit in brutis, quoniam ex singulis propagavit, sed plura simul existere iussit. Pro- pterea in brutis consanguinitas non est, quia, ut ait S. Doctor in resp. ad 5. in eis sanguinis participatio ad amicitiam non ordinatur. Dicitur, ab eodem stipite descendens, idest ab eodem homine, a quo procedunt alii, & pullulant, sicut rami a stipite, ita de propinquo, ut ejus virtus in descendibus perseveret, non solum secundum similitudinem speciem, alias omnes homines ab Adamo descendentes, essent consanguinei; sed secundum similitu- dinem individuiam, juxta quam avus & parentes assimilant sibi prolem in figura & complexione.

36 Ex stipite autem delinuntur linea & gradus. Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descen- dendum, metaphora ducta a linea, quae ab uno puncto videtur derivari. Gradus est habitudo seu mensura distan- tiam personarum, qua cognoscitur quota consanguinitatis

distancia alicui conjungatur, metaphora ducta a scala, ut habetur expresse 1. Juris consultus ff. de gradibus. Li- nea autem triplex est: recta descendendum, nimirum Pa- tris, Avi, Proavi, &c. recta descendendum, Filii, Ne- potis, Pronepotis, &c. Et transversalis, seu collateralis, quae est collectio eorum qui quidem a nobis non ducunt originem, nec nos ab ipsis, ambo tamen ab uno stipite originem ducimus. Rursum haec transversalis est duplex: alia est aequalis, quando ambo qui comparantur, quo dis- tant a communi stipite, ut duo fratres; duo fratrum fi- lii, &c. Alia inaequalis, quando nimirum non aequaliter distant a communi stipite, ut si comparetur frater cum filio fratris sui. His suppositis,

Triplex assignatur regula a D. Thoma art. 2. quæstio- nis citatae. Prima est: In linea recta ascendendum & de- scendentium, si nulla persona mediis inter alias duas, il- le due sunt in primo gradu, sicut pater & filius. Si vero aliqua persona mediis, computanda sunt omnes per- sonae mediae simul cum extremis; & tunc tot erunt gra- dus, quot erunt personae, una dempta: verbi gratia Avus & Nepos sunt in secundo gradu, quia computato Patre medio, & illis duobus, sunt tres, demptoque uno, re- manent duo, & sic sunt in secundo gradu; & idem dicen- dum in aliis. Ratio autem est, quis duo prime personae, verbi gratia Pater & Filius, non faciunt nisi unum gra- dum, & ideo non debent computari omnino tot gradus, quot personae, sed dempta una. Et haec regula habetur l. 1. §. ff. de gradibus.

Secunda regula est: In linea transversa aequali, tot gradibus distant personae inter se, secundum jus Canoni- cum, quot distant a communi stipite; & secundum jus civile, tot gradibus distant inter se, quot sunt gradus a stipite ad ipsas, numeratis utriusque personae gradibus: verbi gratia duo fratres, secundum jus Canonium, sunt in primo gradu, quia quilibet uno tantum gradu distat a stipite; & secundum jus civile, sunt in secundo. Si- militer duo fratrum filii, secundum jus Canonium, sunt in secundo, secundum jus civile, in quarto. Haec regula colligitur ex Alexandro II. can. Ad sedem, & ex Za- charia, can. Laurentia 33. qu. 5.

Tertia regula pro linea transversa inaequali: Secun- dum jus Canonium persona inter se tot gradibus distat, quot gradibus remotior distat a stipite; at vero secun- dum jus civile, quot sunt gradus a stipite ad ipsas, nu- meratis utriusque personae gradibus; verbi gratia filius fratris cum fratre est in secundo gradu, secundum jus Canonium; & secundum civile, est in tertio. Haec regu- la habetur quoad jus Canonium in cap. Finali, de consanguinitate. Quoad Civile in Authentica de hereditibus ab intestato venientibus. Ratio autem hujus diversitatis inter jus Canonium & Civile traditur in dicto canone Ad sedem 35. qu. 5. quia nimirum jus Canonium considerat gradus consanguinitatis in ordine ad Matrimonium contra- hendum, quod nequit contrahi, nisi inter duas personas, atque adeo duas istas personas extremas in uno gradu computat. At vero jus Civile considerat hujusmodi gra- dum in ordine ad hereditatem, ut scilicet illa transferatur ab una persona ad aliam; & ideo singulis personis singulos praedicat gradus.

Consanguinitas autem quarundam personarum impedit 40 Matrimonium jure natura, & quarundam jure tantum Ecclesiastico. Matrimonia enim consanguineorum in primo gradu linea recta, nempe matris cum filio, vel pa- tris cum filia, sunt ipso jure naturae irrita. Unde Ambrosius ad Patrem. Ne pater (inquit) filiam suam accipiat uxorem interdictionum est natura jure, interdictionum lege, quae est in cordibus singulorum, interdictionum est inviolabili prescri- ptione pietatis, ritulo necessitatis. Ratio apud D. Tho- mam 2. 2. qu. 154. art. 9. est, quod naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, haec autem reverentia non parum derogatur conjunctio matrimonialis filiae cum patre, aut filii cum matre, turpitudine enim pa- tris, vel matris revelatur.

Præterea, Matrimonium ordinatur ad hoc a natura, ut duo fiant una caro: qui autem sunt in primo gradu con- sanguinitatis linea recta, pari sunt una caro secundum carnalem conjunctionem immediate: Ergo Matrimonium inter illos jure naturae illicita sunt.

Hec sunt certa & indubitata apud omnes, sed diffi- cultas est, & controversia inter Theologos, an lex natu- ralis irritet etiam Matrimonia consanguineorum in primo gradu linea transversa, seu inter fratrem & sororem, sicut in primo gradu linea recta? Partem enim negantem tenent Scotus, Durandus, Richardus, Paludanus, Cajetanus, Pontius, Corinck, & alii. Quod enim (inquirent) est de jure natura, observatur apud omnes gentes: Sed Matrimonium inter fratrem & sororem non est irritum apud omnes gentes: tum quia Abraham uxorem duxit Saram suam sororem Ge- nef. 20. Vere forer mea est, filia patris mei, & non filia matris meae, & duxi eam in uxorem: tum etiam, quia cum vellet Ammon Thamar sororem suam opprimere a. Re- gum

gum 15. respondit ei: Noli frater mi opprimere me; quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi. Addunt, quod Matrimonia inter fratres & sorores fuerunt apud Perfas & Aegyptios permilla, unde ex Dione refert Sa- lianus anno ante Christum 50. n. 3. de Ptolomaeo Aule- te, quod testamento preceperit Cleopatra filiae majori, & filio grandiori, ut more majorum inter se Matrimo- nio copularentur. Addunt etiam, Martinum V. dispen- sasse cum fratre & sorore, ut Matrimonio jungerentur, ut ex S. Antonio refert Sylvester. Demum in ejus- dem sententia confirmationem, adducunt Canonem 61. Concilii Agathensis, & 30. Concilii Epaoensis, in qui- bus, ut ait Pontius, sic dicitur: Si quis germanam uxorem accipit.

42 Nihilominus sententia affirmans talia Matrimonia esse jure naturae irrita, videtur probabilior: Primo, quia ratio quam assertit D. Thomas pro Matrimonio consanguineorum in primo gradu linea recta, se extendit etiam ad Matrimonia consanguineorum in primo gradu linea transversa; ait enim S. Doctor loco supra citato: Natu- raltiter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per consequens alii consanguinei qui ex eisdem parentibus, de propinquo originem trahunt.

43 Secundo, quia licet fratres & sorores non participant eandem carnem & sanguinem, cum dependentia unius ab alio, ut filii a parentibus, tamen ratione participa- tionis immediate ab eodem principio, respiciunt se mu- tuo ut unam eandemque carnem; cum enim filius, teste Aristotele 5. Ethic. cap. 6. fit pars parentum, ex eorum lumbis, & utero decit, frater & foror sunt eadem caro, ex parentum lumbis & utero participata.

44 Tertio, Philosophi morales docent, cum multa causae sint amicitiae & amoris, nullam esse majorem, quam sin- guinem & originem. Quaebeant Aristoteles hanc causam reddidit, cur non debeant uxores esse communes, sicut Plato & Socrates volebant; quia nimirum si omnes essent communes, fratres accedent ad sorores, & cum ipsa sanguinis conjunctio inter illos fit causa amoris ve- hemmentissimi, & alia ex parte utriusque Matrimonii & libidi- nis inflammant amorem, dare forem fratri nuptial. Iste homini ebrio vinum propinare. Unde conlat ex ipsa lege natura facile causam desumptam, ut inter fratrem & sororem Matrimonium essent prohibita. Unde S. Augustinus 15. de civit. cap. 16. aperte faveat hanc sententiam, ait enim: Quanto antiquius est, ut viri forores suas conjuges acciperent, compellente necessitate, tanto postea salutum est damabilius, religione prohibens. Nec fatiscit responso Cajetani, dicentis Augustinum non dixisse haec Matrimonia non esse prohibita a natura, sed a religione, hoc est lege Ecclesiastica. Augustinus enim pro religione hic non accipit legem aliquam positivam, sed naturalem, quae extra casum necessitatis conservandi genus humanum, talia Matrimonia averterit, & damnat ut nefaria. Quare sub- dit: Fieri ergo debuit, quando potuit, ut existente copia, inde ducerent uxores, quae non erant jam forores; & non solum istud ut foret, nulla necessitas esset, verum etiam si foret, nefas esset; cum talem licentiam ita exhorreat & averterit humana consuetudo, quae nunquam licere potuerit. Quod ergo illi Adm in primo gradu contraxerit, factum est, Deo dispensante, & dante illis potestatem contra- hendi, propter necessitatem propagandi per illos ge- nus humanum: quorum aliqui Matrimonium fuisset ipso jure naturae irritum.

45 Demum eadem sententia suaderi potest ex eo quod, licet in omnibus gradibus jure natura non prohibitis, Ec- clesia aliquando dispensaverit, nunquam tamen dispensa- vit, ut frater forori Matrimonio jungeretur. Solum legi- mus, semel eximatatum fuisse, obtentam esse talem dis- pensationem, tempore scilicet Ludovici XI. Francorum Regis, quo Comes Armeniacus dicebat se obtinuisse dis- pensationem, ut cum forore sua Matrimonium contrahe- ret; qua de re scripsit Ludovicus ad Summum Pontifi- cem, inventumque est, subrepticum fuisse dispensationem, & Protonotarius qui literas Apostolicas falso subscripse- rat, ultimo supplicio affectus est, ut refert Paulus Emi- lius. Unde

46 Ad fundamentum adverte sententiae, concessa Majori, nego Minorem, & ad primam ejus probationem dico, falso supponi, Saram fuisse stricte & proprie sororem Abraham, ex eodem patre immediato & proprie dicto, cum potius fuerit filia Aran filii Thare: quippe qui duas uxores habuit, ex quarum una natus est Abraham, ex altera Aran, qui genuit Saram & Loth. Quare Abraham non fuit proprie frater, sed patruelis Sarae, illi conjun- ctus in secundo gradu tantum, licet phrasi Hebraica fra- trem illius se dixerit esse, eodem sensu quo ipsum Loth fratrem suum vocavit, idest nepotem, Genes. 13.

Ad exemplum de Thamar, respondent aliqui, illam non fuisse filiam David, nec proinde sororem Ammon, sed privignam. At melius respondeatur, ex verbis illis quae Thamar protulit, dum Ammon eam volebat oppri- me. Theol. Genes, Tom. V.

mere, non posse deduci efficax argumentum contra no- stram sententiam: nam vel ea Thamar protulit ex inopi- nata improvifaque sceleris immanitate turbata, vel ut eligens ut minus malum, cum fratre inire concubium, quam cum eodem incestum committere.

Ad tertiam probationem Minoris dico, gentes illas apud quas Matrimonia fratrum cum sororibus erant licita, er- rasse contra lumen naturale rationis, & contra jus na- turae in hoc peccasse, sicut & in multis aliis. Nam quid magis rationi repugnans, quam uxores habere communes, & adulteria ut honorifica admittere? Et tamen primum permissum apud Nomadas, secundum apud Gindaves, ut Strabo, Herodorus, & Alexander ab Alexandro tes- tatur.

Exemplum de Martino V. falsum est, non enim, ut ait Soto, cum fratre & sorore dispensavit, sed cum af- fine in primo gradu, nempe cum ea cujus germanam vir fornicarie cognoverat.

Demum Can. 61. Concilii Agathensis, & Can. 30. Con- cilii Epaoensis, corrigi debent juxta lectionem Concilii Turonensis II. cap. 22. ubi sic dicitur: Si quis germanam uxoris suae accipit, non autem, ut vult Pontius, si quis germanam uxorem accipit.

S. II.

De cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis dirimens Matrimonium, est qua- dam personarum propinquitas ex eo proveniens quod quis consecrat sacramentum Baptismi, vel Confirmationis, aut ex eo quod tenet sui fufcipit illum, qui tale Sa- cramentum confertur. Nam Papa Deus dedit apud Graecum 30. quæst. 1. canone Perennis, citat huc de re constitutiones Julii I. Innocentii I. & Caesarii I. Et in Annalibus Galliae nota est illa hitoria Chilperici Regis, qui noluit habitare cum uxore Gondora, quia cum esset absens, illa pepererat, & fufceperat infantem ex Ba- ptismo. Item Zonaras tomo 3. Anualium scribit, Imperatorem Nicephorum Phocam fuisse propterea repullum ab Ecclesia a Patriarcha Constantinopolitano; quod duxisset Theophanem, cujus ante filiam fufceperat ex Ba- ptismo. Unde in variis Conciliis vetitum est, ne quis duceret uxorem eam, cujus filiam tenuerat in Baptismo. Cujus prohibitionis praecipua ratio est, quia illi qui spiri- tualiter sunt cognati, debent sibi invicem exhibere sin- gularem quandam honorem, qui non potest consistere cum nuptiis.

Porro in antiquo jure Ecclesiastico fuerunt tres spe- cies cognationis spiritualis: prima erat paternitas inter eum qui consecravit Sacramentum, & eum qui fufcipie- bat: item inter eum qui tenebat Baptizatum vel confir- matum; & ipsum Baptizatum & confirmatum. Secunda vocabatur compaternitas inter patrem naturalem, & pa- tres spirituales, vel inter matrem naturalem, & matres spirituales. Tertia fraternitas inter filios patris natu- ralis, & filios patris spiritualis. Sed Concilium Tridentinum sessione 24. c. 2. adhibuit moderationem, ut spiri- tualis cognatio non esset impedimentum Matrimonii, nisi inter patres, tum inter se, tum cum filiis, idque in primo tantum gradu. Unde nulla spiritualis cognatio, sub- indeque nullum Matrimonii impedimentum contrahitur inter virum & feminam, aliquem de sacro fonte fufcipientes, aut tenentes in Sacramento confirmationis, quia Tridentinum l. c. expresse dicit, inter alias personas tolli omne impedimentum cognationis spiritualis. Si tamen vir teneret proprium filium, contraheret cognatio- nem spirituales cum uxore ex qua illum fufcepit, qua prohiberetur a debito conjugali. Similiterque femina, si teneret filium proprium, contraheret cognationem spiri- tualem cum marito, ob quam debitum conjugale non pos- set ab illo exigere. EX ratione vero aliorum Sacramen- torum; praeterquam Baptismi, & Confirmationis, spiri- tualis cognatio non contrahitur: quavis ex Sacramento poenitentiae oriatur quod spirituali cognationi Ba- ptismi, ut dicitur cap. Omnes 30. quæst. 1. ratione cuius nonnulli existimant, peccatum luxuriae inter Confessa- rium & Poenitentem habere malitiam specialem, vel incestus spiritualis, aut sacrilegii contra reverentiam sa- cramenti.

Ceterum impedimentum cognationis spiritualis, in- ter supra dictas personas non incurritur, nisi certis conditionibus concurrentibus, quarum prima est, ut Baptismus & Confirmatio vere & valide conferatur; unde ex ceremoniis in templo suppletis, post Baptis- mum domi collatum, non oritur; bene tamen ex Ba- ptismo etiam privato. Secunda conditio est, quod per- sona sit capax hujus cognationis, atque adeo, quod patris, dum in Baptismo id officium fulsit, sint baptizati. Unde si infidelis nondum baptizatus, filium matris itidem infidelis baptizaret, non posset ille

quidem filiam baptizatum, utpote quae hoc impedimentum vere contraxit, ducere in uxorem, licet conversus ad fidem; bene tamen ejus matrem, etiam si ambo converterentur, cum neuter eo tempore, quo infans baptizabatur, legibus Ecclesiae subiectus esset, & capax cogitationis spiritualis. Tertio requiritur, ut compater & commater teneant eum, qui baptizatur; aut confirmatur, vel saltem de manibus baptizantis eum immediate suscipiant, ut declaratum fuit a Congregatione Cardinalium, quae respondit, commatrem suscipientem infantem de manu compatris duntaxat, postquam ille baptizatus, & a fonte levatus est, ita ut eum non tangat, dum baptizatur, neque de manu ipsius baptizantis suscipiat, neque contrahere cognationem spiritualem, ut habetur in Declarationibus impressis Lugduni cum textu Concilii anno 1642. ad cap. 2. Decreti de reform. Matrimonii sess. 24. num. 8. §. In Episcopatu.

49 Adiant aliqui, requiri ut suscipiens respondeat in Catechismo, qui Baptismo praemittitur; atque per se ipsum, non per procuratorem suscipiat. Sed primum dicitur sine fundamento, cum Tridentinum hanc conditionem non requirat, sed tantum officium tenendi in Baptismo, quod est diversum ab officio respondendi in Catechismo, & olim diversam cognationem spiritualem pariebat, non irritantem, sed prohibentem Matrimonium, ut disp. praecedenti art. 1. declaravimus. Secundum vero repugnat aperte declarationi Cardinalium, loco supra citato, n. 4. quae sic habet: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandavit. Itaque mandans & suscipiens per procuratorem, cognationem contrahit, non vero ipse procurator, cum non suo, sed mandantis nomine, infantem suscipiat.*

§. III.

De Cognatione legali.

50 Cognatio legalis definitur propinquitas ex adoptione alicujus in filium proveniens, & contrahitur primo inter adoptatum & adoptantem. Secundo inter adoptatum, & conjugem adoptantis. Tertio inter adoptantem & conjugem adoptati. Quarto inter adoptantem & legitimis filios adoptati, saltem usque ad quartum gradum inclusive: simili enim modo mestendi sunt gradus cognationis legalis, ac cognationis carnalis, quam illa imitatur. Est etiam inter adoptatum, & legitimis filios adoptantis, usque ad quartum gradum, non tamen perpetua, sed quamdiu durat adoptio, & dum filii legitimi sunt sub patris potestate.

51 Haec vero species cognationis legalis singula dirimunt Matrimonium jure Ecclesiastico, & Civili, nam capite unico de cognatione legali, sic dicitur: *Si qua per adoptionem tibi soror esse coeperit, quamdiu durat adoptio inter te & ipsam, nuptiae consistere non possunt.* Et in cap. Ita diligere, Nicolaus Summus Pontifex determinans quod non potest esse conjugium inter illos, inter quos est cognatio spiritualis, id probat hac ratione: *Si inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare illos, quos per esse sacramentum regeneratio Sancti Spiritus jungit.* De hoc impedimento fuit differant Sanchez, Pontius, Amicus, & alii: Sed cum illud rarissime accidat, non lubet, nec expedit in eo diutius immorari.

ARTICULUS IV.

De impedimento criminis.

52 Quintum impedimentum dirimens, est crimen, per quod intelligitur primo occisio alterius conjugis, quae impedit ne conjux superstes, possit Matrimonium inire cum auctore necis, si cum eo machinatus est mortem, vel si antea adulterium cum eo commisit, etiam sine mortis machinatione. Hoc impedimentum incurritur non solum a viro uxorem occidente, sed etiam ab uxore occidente virum, vel mandante ut occidatur, aut consiliu auxiliante ad occidendum praebente, ut constat ex cap. 1. de conver. infid. in quo dicitur, hoc impedimentum incurrisse uxores Christianas, quarum viri ipsarum infidels & machinationibus fuerant a Saracenis interfecti. Et in Concilio Tiburienti can. Si quis 31. q. 1. decretum fuit: quod si vir uxorem, si ve uxor virum occidisse convicta fuerit, in perpetua poenitentia, sine ulla spe conjugii, reliquum vitae tempus transigerent.

53 Secundo, nomine criminis intelligitur adulterium commissum cum promissione futuri conjugii cum adultera, post obitum propriae conjugis, vel cum ea de praesenti inito contractu Matrimonii, quamvis irrito. Nam per tale crimen jure Ecclesiastico incurritur impedimentum contrahendi Matrimonium cum adultera, ut habetur can. Relictum 31. qu. 1. & fere in omnibus capitibus sub titulo, De eo qui duxit, praecipue cap. Finali, ubi sic dicitur:

Si quis uxore vivente, sine data promissione aliam se ducatur, vel cum ipsa de facta contraxerit, si nec ante, nec post (legitima ejus superstitie) cognovit eandem, quavis uxore ipsorum, pro eo quod in hoc graviter deliquerit, sic poenitentia injungenda, non est tamen Matrimonium quod cum eo contraxerit, post uxoris obitum dirimentum. Ceterum tolerari non debet, si prius, vel postea, dum viveret uxor ipsius, illam adulterio possiderit. Ubi Pontifex, ut hoc impedimentum incurritur, requirit quod haec duo inter se conjungantur, nempe adulterium, & fides de contrahendo, defuncta propria uxore, aut praesens contractus cum ea quam in uxorem ducere cupit; unde si haec ab invicem separantur, & sit adulterium sine fide de contrahendo, aut fides de contrahendo sine adulterio & carnali copula, non incurritur hoc impedimentum. Similiter, si fide data, vel contracto de praesenti matrimonio, uterque resiliat, tamen si adulterium sequatur, hoc impedimentum non contrahitur, quia fides & praesens contractus eo casu fuit extinctus. Contra vero, si post adulterium data sit fides, vel contractus sit Matrimonium, tamen id mutuo consensu dissolvatur, contrahitur hoc impedimentum; quia ad illud incurrendum sufficit, quod semel & simul fides & adulterium conjungantur; neque est postea in potestate adulteriorum, se a poena quam incurritur eximere.

Ratio autem quae Ecclesiam induxit ad statuendum hoc impedimentum, fuit ne allicerentur conjuges ad machinandum mortem suis conjugibus, spe contrahendi Matrimonium cum conspiratoribus. Item ne allicerentur ad adulterium spe, vel preteritum contrahendi aliquando Matrimonium cum adulteris. Quae ratio gravissima & aequissima est; quid enim atrocius, quam non solum fidem Matrimonii non servare, verum etiam conspirare in mortem conjugis? Et quid iustius, quam vite conjugum consulere, & tam immane scelus, quale est uxoricidium, vel adulterium, condigna poena puniri: Unde perperam contra hoc impedimentum reclamant Lutherus in libro de captivitate Babilonica, cap. de Matrimonio, & Melancthon in locis communibus, titulo de conjugio, quasi imprudenter Ecclesia Matrimonium inter adulteros, non solum prohibuerit, sed etiam irritum fecerit; cum tamen (inquiant) David Bethababam prius a se pollutam per adulterium, uxorem duxerit, & Uriam ejus maritum, per insidias interfecerit, 2. Regum 11. Verum (praeterquamquod multa in lege Evangelica prohibentur, quae in lege Moysaica permittebantur, aut tolerabantur, quia perfectio legis Evangelicae hoc postulat) non apparet ex sacra historia, concurrisse omnia in Matrimonio Davidis cum Bethababam, quae nunc per legem Ecclesiasticam requiruntur ad incurrendum impedimentum criminis. Nam nec adulterium illud fuit commissum sub spe & promissione futuri conjugii, neque post illud accessit promissio de contrahendo post mortem Uriae, neque fuit attentatum inter illos, vivente Uriae. Neque etiam constat, Bethababam ullo modo conspirasse aut consensisse in mortem conjugis, aut Davidem Uriam interfecisse, ut Bethababam duceret, quin potius ejus mortem machinatus est, ut adulterium cum Bethababam commissum occultaret, & filius, quem ex tali adulterio illa conceperat, Uriae filius esse crederetur.

ARTICULUS V.

De impedimento disparitatis cultus.

54 Sextum impedimentum est cultus disparitas, quando scilicet Baptizatus, si ve Catholicus sit, si ve haereticus, Matrimonium inire cum non Baptizata, aut vice versa; Matrimonium enim inter illos contractum, irritum esse, est persona nondum Baptizata, sit Catechumena & fidelis, constat ex antiquissima traditione Ecclesiae, quae ab Apostolis creditur originem duxisse; sicut dicit Tertullianus, qui proximus fuit Apostolis, hujus rei mentionem facit lib. 2. de uxore. Videtur etiam id fuisse constitutum, seu potius confirmatum in Concilio Niceno 1. cap. 67. ex Arabicis, ubi sic habetur: *Quicumque mulier fidelis viro infideli nuptiae a communione fidelium separatur. Quis si poenitentiam egerit malefici, & eum virum quem habere non poterat, id est infidelem, dimiserit; non est recipienda, nisi eo modo quo recipitur qui postquam fidem negavit, ad fidem revertitur, debetque ipsa infidelem relinquere.*

Causa vero ea Matrimonia irritanda fuit primo periculum ab orthodoxa fide pravariandi. Quis enim dubitet (inquit Tertullianus lib. 2. ad uxorem) obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores consulationes pravae. Quanto magis conjunctus & indivisus usus, &c. Secundo, difficultas suscipiendi prolem bene pieque educandi. Unde Div. Thomas hic quaest. 59. artic. 1. sic dicitur: *Principaliter Matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda: cum autem educatio fiat communiter per patrem & matrem, uterque secundum fidem suam*

*suam intendit ad cultum Dei prolem educare; & ideo si sint diversae fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit, & in inter eos non potest esse conveniens Matrimonium, & propter hoc disparitatis cultus praecedens Matrimonium impedit ne contrahi possit. Tertio, perpetua inter conjuges discordantiam occasio, ob religionis diversitatem. Quomodo enim potest congregare caritas, si discres fides? ut recte ait Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 9. Haec & alia plura quae ex libris de Matrimoniis sequuntur incommoda, recenset Tertullianus libro citato ad uxorem, eisque a diametro opponit bona quae in Matrimonio inter fideles conjuges esse solent: *Quale jugum (inquit) fidelium duorum, unus spiritus, unus vultus, unus discipulus, ejusdem servituti, ambo fratres, ambo confervi, nulla spiritus carnis diversio. An quia vere duo in carne una, ubi caro una, unus & spiritus, &c. Talis Christus videtur & audiens gaudet. Hic pacem suam mittit. Ubi duo, ibi & ipse, ubi & ipse, ibi & malus non est.**

57 Sunt etiam ejusmodi conjugia jure naturali & divino illicita, quando est periculum subversionis alterius conjugis fidelis, aut male educationis prolis; ideoque fuisse a Deo prohibita in lege veteri, Exodi 34. & Deuter. 7. ubi Deus interdicat Matrimonium Hebraeorum cum Gentilibus. Et Apostolus 2. ad Corinth. 6. idem praecipit revocare videtur dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras, aut quae pars fidelis cum infideli?* Quae verba de jugo Matrimonii exponit Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum. Et quamvis essent generaliter intelligenda de commercio & convivio cum infidelibus (ut Chrysostomus, Ambrosius, & Theophylactus interpretantur) a fortiori concludunt de Matrimonio, cum nullam possit dari copiam commercium cum infidelibus, quam iis indissolubili Matrimonii vinculo copulari. Item 1. ad Cor. 7. praecipit idem Apostolus, ut mulier Christiana, si dormierit vir ejus, non nubat, nisi in Domino, id est cum viro Christiano, ut Ambrosius, Theodoretus, Anselmus & D. Thomas ibidem exponunt.

58 Dixi, quando est periculum subversionis alterius conjugis fidelis, aut male educationis prolis; si enim desit tale periculum, non videtur esse peccatum contrahere Matrimonium cum infidelibus. Constat enim Jacob uxorem duxisse filiam Laban hominis gentilis, Genes. 29. Joseph Aetneth filiam Patipharis haereticus Heliopoles, Genes. 41. Moysen Sopheram filiam Jethro Sacerdotis Madian, Exodi 2. Esther nupti daturam Ahasvero Persarum Regi, Esther 2. Salomonem accepisse filiam Pharaonis, 3. Regum 3. propter quod a Scriptura non reprehenditur. Id etiam confirmat exemplo S. Caeciliae, quae nupsit Valeriano ethnico, ut habetur in ejus vita, & in Officio Romano, S. Monicae matris S. Augustini, quae Patrio ethnico nupsit, ut ipse refert lib. 9. Confess. cap. 9. & S. Clothildis, quae ex Gregorio Taronenf. 1. 2. hitor. cap. 28. & 31. nupsit Clodoveo Regi Franco- rum, ethnico.

59 Ex quo intelligitur, a fortiori Matrimonia cum haereticis non semper esse illicita, sed posse, iuxta de causa, permitti, vel tolerari. Sufficiens autem censetur causa, primo si haereticus unam constituentem Republicam cum Catholicis, ut in multis Galliae, Germaniae, & Poloniae partibus factitatur. Secundo, si cessent causae allatae, praesertim periculum perversionis a fide, & difficultas suscipiendi prolem catholice educandi. Tertio, si effulgeat spes conversionis alterius conjugis ad fidem. Quarto, ad pacem inter Principes componendam. Nunquam tamen tolerandum est, ut Catholicus cum haeretico eo pacto contrahat, ut filiorum educatio pertineat ad patrem, filiarum ad matrem, nam hoc esset evidenti periculo exponere prolem a matre haeretica educandam.

60 Dico: Ex praecipio Christi tenentur omnes Catholici, dum Matrimonium contrahunt, illud contrahere sacramentaliter: Sed non contrahunt sacramentaliter cum haereticis, quia cum erodant Matrimonium non esse sacramentum, non habent intentionem contrahendi sacramentaliter, sine quo sacramentum fieri nequit; cum ambo contrahentes sint hujus sacramenti ministri, & sine intentione ministri nullum perficiatur sacramentum, ut Florentinum definit in Decreto Eugenii: Ergo non licet Catholicis Matrimonia cum haereticis contrahere.

61 Respondeo, concessi Majori, negando Minorem, sufficit enim ad contrahendum sacramentaliter, ut velit haereticus facere id quod Christus instituit, vel quod docet & facit vera Ecclesia, quaequam illa sit, unde ad hanc intentionem habendam, semper disponenda est conjux haereticus, contrahens cum Catholico, ne Matrimonium debita dignitate sacramenti frustretur.

Infans: Illo conjux haereticus intendat facere quod Christus instituit, & facit vera Ecclesia, peccat tamen celebrando & recipiendo hoc sacramentum in statu peccati haereticis. Ergo etiam conjux Catholica peccat contrahendo cum illo, quia cooperatur ejus peccato. Theolog. Gener. Tom. V.

Sed nego consequentiam, ille enim non censetur cooperari peccato alterius, qui ut fuit necessitati vel utilitati consulat, petit ab illo actum, quem potest licite praestare, si velit, vel cum illo eum exercet, ut qui petit & accipit mutuum ab usurario, praevideus non daturum sine usura; vel qui propter famam necessitatem, aut notabilem utilitatem, petit & recipit sacramentum a Pariocho, quem videt esse illicite administratum sua culpa.

Septimum impedimentum est vis fore coactio, libertati ad valorem Matrimonii necessaria repugnans, de qua fuisse egimus supra disp. 4. art. 4. ad quem locum Lectorem remittimus.

ARTICULUS VI.

De impedimento Ordinis.

Ordinem sacrum irritare Matrimonium subsequens constat ex cap. 1. Qui clericus veli uxorem, & ex cap. Ut lex 27. quaest. 1. ubi postquam statuit Pontifex & praecipit, ut qui post sacros Ordines uxores duxerint, ab illis separentur, subiungit causam; his verbis: *Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constare esse contractam, Matrimonium non esse censemus.*

Hoc impedimentum est mere positive & Ecclesiasticum, cum, ut constat ex Trid. sess. 24. can. 9. ubi sic dicitur: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem sollemniter professus, posse Matrimonium contrahere, contrahendumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voti, anathema sit.* Votum autem sollemnem Religionis, ut artic. 2. ostendimus, jure naturali dirimit Matrimonium, quia sollemnitas talis voti consistit in perfecta traditione, sollemnitas vero voti Ordinis sacris annexi, imperfectam duntaxat traditionem, quae Clerici a divino cultu ad ministrandum altari participant, importat; ut docet S. Thomas 2. 2. quaest. 88. art. 11. ubi asserit non posse Pontificem dispensare in voto sollemnizato per professionem, bene tamen per susceptionem faceri Ordinis; quia (inquit) tale votum ex sola constitutione Ecclesiae, & non essentialiter est annexum Ordini sacro; quod inde provenit, quia in tali voto est tantum traditio imperfecta; directum enim & per se est administrandum altari, non autem absolute; sicut in professione Religionis.

Porro in eo discrepat Graeci a Latinis, quod illi, quod 64 post Matrimonium Ordinem sacrum suscipiant, possunt licite Matrimonio uti extra tempus quo altari deserviant. Illi vero, si post Matrimonium valide contractum, ad Ordines sacros ascendant, ab usu conjugii perpetuo abstinere debent. Quae de re plura diximus in Tractatu de Ordine disp. 3. art. 3.

Advertendum etiam, quod primis Ecclesiae temporibus, 65 licet Ordo sacer redderet Matrimonium illicitum, non tamen reddebat invalidum, unde erat solum impedimentum prohibens, non vero dirimens, ut colligitur ex Concilio Ancyrano can. 10. ubi Presbyteri qui Matrimonium contraxerant, tantum a ministerio deponuntur, & rediguntur ad communionem laicam, non vero ab uxoriis separari jubentur. Item in Concilio Neocaesariensi can. 1. sic habetur: *Presbyter, si uxorem duxerit, ab Ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit vel adulterium perpetraverit, extra Ecclesiam abiciatur, & poenitentiam inter laicos reddendus agat.* Ubi non dicitur tale Matrimonium esse irritum, jubeturque gravior poenitentia, si fornicatus fuerit, vel adulteratus, quam si Matrimonium contraxerit.

ARTICULUS VII.

De impedimento ligaminis.

PER impedimentum ligaminis intelligitur vinculum prioris Matrimonii, quo durante, jure divino, invalidum est Matrimonium secundum, tametsi prius non sit carnali copula consummatum, ut desinitur Gregorius IX. cap. penultimo de sponsalibus, Alexander III. cap. Licet, & Innocentius III. cap. Finali, de sponsa duorum. Ubi Pontifex corrigi obfusum, qui in civitate Mutinensi invenerat, ut si quis aliquam per verba de praesenti desponsasset, & ante carnalem copulam, cum alia contraxisset, ea sibi in uxorem adjudicanda foret, quam primo cognovisset.

Hoc impedimentum constat ex dictis disp. 1. artic. 3. & disp. 5. artic. 1. ubi ostendimus, polygamiam, & repudium, esse a Christo in lege Evangelica sublatam, & ut Matrimonio in sua prima institutione adversa, prohibita; atque monogamiam, & conjugii indissolubilitatem, ab ipso fuisse relictam. Unde Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupiscentia: *Hujus proculdubio Sacramenti res est, ut mas & femina connubio copulari, quamdiu vivunt, inse-*